

## Miser agricola

Olim<sup>1</sup> miser agricola<sup>2</sup>, homo stultus et indoctus<sup>3</sup>, vivebat in parva casa<sup>4</sup>. Agricolae erant solum minimus ager et paucae gallinae, quae ei ova pariebant. Igitur ille cotidie ad urbem quae prope eius casam erat proficiscebatur: nam in foro ova parvo pretio vendebat. Quondam<sup>5</sup> per viam ambulabat et in capite fiscum<sup>6</sup> ferebat, ovorum plenum. Ambulans cogitabat: «In foro ova vendam et oves emam. Oves parient multos agnos, quorum carnes tenerae et optimae erunt. Omnes qui in urbe vivunt libenter e me agnos ement et mihi multi sestertii erunt. Agnos magno pretio vendam et lanam quam eorum matres mihi dabunt. Lana tractabitur<sup>7</sup> a mea bona uxore. Etiam lanam vendam: tum vaccas et taurum emam. Animalium meorum numerus semper augebitur et multi pastores greges meos in agris meis pascent<sup>8</sup>. Dives ero et ad urbem non pedibus veniam sed lectica vehar et cum servis meis in foro ambulabo, loquens cum ditissimis viris. Rusticuli<sup>9</sup> me salutabunt, sed superbe ambulabo tacitus. Servi mei nummos pauperibus qui humiles sequentur largientur. Viri

---

<sup>1</sup> olim: “una volta”

<sup>2</sup> agricola, ae = homo qui agros laborat

<sup>3</sup> indoctus, a, un = non doctus

<sup>4</sup> casa, ae = “capanna”

<sup>5</sup> quondam = “una volta”

<sup>6</sup> fiscus, i = “cesta”

<sup>7</sup> tracto, as, are lanam = laborare lanam

<sup>8</sup> pasco, is, ere = herba in campis nutrire animalia (vel oves vel vaccas)

<sup>9</sup> rusticulus, i = homo pauper et indoctus qui ruri vivit

magnae auctoritatis ad domum meam hospites venient et laetus eos salutans ita caput eleganter<sup>10</sup> flectar<sup>11</sup>.»

Dum haec cogitat, caput flectit et fiscus cum ovis cadit. Misero agricolae nullum ovum integrum<sup>12</sup> manet. Ita ille domum revertens inter se cogitat: «Me divitem esse credebam, nunc autem miserior et pauperior sum quam antea!».

(Ivana Milani)

---

<sup>10</sup> eleganter < elegans, antis (cfr. fortiter < fortis)

<sup>11</sup> flecto, is, ere= caput movere (ad pectus)

<sup>12</sup> integer, gra, grum = sanus, sine ulla fractura